



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Illvstrissimi Viri Petri De Marca Archiepiscopi Parisiensis Dissertationvm De Concordia Sacerdotii Et Imperii, Sev De Libertatibvs Ecclesiæ Gallicanæ, Libri Octo

Marca, Pierre de

Parisiis, 1669

VII. Accusator, Rex, Episcopi, & reliquus conventus appellant futurum Concilium. Hæc appellatio non adhibita est ad tuendam majestatem regni, cui prospexerant protestatione contraria. Sed ut sibi ...

urn:nbn:de:hbz:466:1-15591

quidem sibi usurpasse ut regnum Francorum ad feudi servitatem demissum, à sede apostolica hominij & fidelitatis nexu pendere diceret. Sed ea subiectione excepta, supremam sibi potestatem in Reges arrogavit, quam magna oratione in constitutione *Vnam sanctam* expressit. Nempe sibi liberum putavit, quæcunque à Regibus peccarentur, non solum quatenus sunt privati homines, sed etiam in regni administratione, decretis suis corrigere, & constitutionibus à se latis statum publicum Ecclesiæ, & regni, Concilij in eam rem coacti sententia dispo- nere, contumacisque Reges excommunicationibus & tandem ipsa regni privatione plechere. Quare non erat cur tantopere adversus Flottam conquereretur de falsa sententia sibi afficta in epistolio suppositio, his verbis, *Scire te volumus quod in spiritualibus & temporalibus nobis subes*, cum ipse eandem rem profiteretur, ratione quidem peccati, non verò ratione feudi. Innocentius III. hanc distinctionem arripuerat ut ad se cognitionem controversiæ inter Reges Franciæ & Angliæ motæ traheret, (de qua diximus lib. II. cap. III.) sed ejus regulæ vim ad Regum peccata in subditos & ad regni statum ordinandum non extenderat, quemadmodum Bonifacius. Gallicana Ecclesia per literas ad Bonifacium datas satis significaverat, videri sibi nullatenus ad Pontificem pertinere ut Regis *excessus* in regni administratione admissos corrigeret. Quare mirum non est, si Philippus consilium suum post reditum Legatorum mutare noluerit, qui constantem in proposito suo Bonifacium retulerunt.

V I. Ioannes Monachus Cardinalis, cui legatio ad Regem imposta est, hoc confirmavit, cum præter ceteras pacis conditiones parum æquas, hanc quoque urgeret, ut evocati ad synodum Galli Romam se conferre non prohiberentur, & Rex coram Pontifice se susteret ob Bullas in apostolicæ sedis contemptum incensas, per procuratorem mandato instructum *de parendo Pontificis beneplacitis*. Eas conditiones renuente Philippo, Bonifacius in illum excommunicationem protulit: cujus sententiæ instrumenta Nicolao Benefracto Archidiacono Constantiensis in Normannia, ejusdem Legati familiari, cum perferenda in Galliam data essent, accidit ut ille apud Treas comprehenderetur. Custodiæ traditum, Legato petenti ejus liberationem, Rex omnino denegavit. Et statim sibi consulturus, conventum totius regni Parisiis evocavit anno millesimo trecentesimo tertio; atque interim Legatus nocte intempesta urbe excedens,

Romam se contulit. Ea verò fuit animorum commotio adversus Pontificem, quod regni ordinationem, prætextu peccati emendandi, ad se trahere vellet, ut Episcopi & proceres faciles se præbuerint accusationi contra eum delatæ, de qua mox dicam. Interim observanda est majorum nostrorum constantia in asserenda regni libertate, quam solo dissenso tuebantur. Guillelmus de Plesseiano, Dominus Vicensis, Miles, illique adjuncti Ludovicus Comes Ebroicensis Regis filius, Guido S. Pauli & Ioannes Drocensis Comites, accusationem de criminibus hæreseos, schismatis, simoniæ, & aliis nefandis sceleribus coram Rege & cætu illo adversus Bonifacium scripto detulerunt; & in Concilio generali probationem se implenturos professi, Regem atque Episcopos obsecrarunt ut congregationi Concilij studiosissimam & efficacem operam navarent.

V II. Tum Guillelmus suspectum sibi Bonifacium ob delationem illam testatus, ut se tutum ab illius censuris præstaret, futurum Concilium generale appellavit, & futurum Papam catholicum, & sedem apostolicam, *& ad illum vel illos ad quem vel ad quos melius provocare debet*, sèque fautores, que suos protectioni beatorum Apostolorum Petri & Pauli, sacri Concilij congregandi, futuri Summi Pontificis, & sanctæ sedis Romanæ commisit, *ad cautelam*. Rex pollicetur se daturum operam congregationi Concilij, *salvis in omnibus sacrosanctæ Ecclesiæ Romanæ honore & reverentia debitis*. Episcopos obsecrat ut huic convocationi intendant, & ne Bonifacius, *spirituali gladio abutendo*, de facto ad excommunicationes & interdictiones procederet, suo & eorum qui sibi adhererent nomine, generale Concilium & legitimum futurum Summum Pontificem provocat, *vel alios ad quem vel ad quos fuerit provocandum*. In sententiam Regis itum est ab Episcopis, qui appellatione quoque sibi caverunt. Quas appellationes deinde ratas habuerunt ceteri Episcopi & proceres qui conventui non intererant, quemadmodum & reliquæ regni Universitates.

Hæc omnia distinctè retuli; ne quis cum vulgo in eum abripiatur errorem, ut existimet Philippum eo animo Concilium provocasse, ut de regni sui statu & majestate in Concilio disceptaretur. Quod enim ad caput illud pertinet, protectione in contrarium à se & à totius regni conventu edita anno MCCCII. sibi caverat, & de dignitate sua violata cum Bonifacio per tres Episcopos Ecclesiæ Gallicanæ Legatos exposcullaverat. Quare appellationis ad Concilium occasio inde solum profecta est, quod

Extr. Vnam sanctam De majest. & obed.

T. II. M. II. p. 111. 112.

Bonifacius delatus esset inter reos, à Concilio futuro discutiendus; & ideo in causa ecclesiastica hoc remedio contra futura gravamina sibi profpexerunt, ad cautelam, ut dicebat Guillelmus de Plesleyano.

CAPVT XVII.

Synopsis.

I. De appellationibus à Papa ad futurum Concilium. Quae aliena à vetere disciplina. Non provocatur à sententia Patriarcharum, in causis privatis. Communes definiti non poterant sine sententia sedis apostolicae; à qua non appellabatur.

II. Aliquando ob bonum pacis instaurabatur iudicium sedis apostolicae. quod differt ab appellatione. Synodus Arelatensis indicta in causa Cæciliani, post iudicium Concilij Romani, ut Donatistis satisficeret. Cangiuebantur causam non plenè audiam. Secunda cognitioni interfuerunt primi iudices; contra morem appellationum. Explicatus Augustinus; facti speciem recitat, non verò regulam prescribit.

III. Iudicia aliquot renovata, post Romanae sedis sententiam. Quod aliquando tamen fieri noluerunt Summi Pontifices. In octava synodo definitum fuit instaurandam esse cognitionem adversus Phorium post iudicium Concilij Romani. Reluctantibus Legatis sedis apostolicae.

IV. Post seculum nonum, graves causae disceptatae à Pontificibus in numerosis Conciliis. Praecipue si ageretur de Sacerdotij & Imperij Concordia. ubi aderant Clerici & laici; è Gregorio VII. & Gelasio II. Innocentius III. gravem controversiam decidere non audeat absque definitione Concilij.

V. Inde manavit mos ille appellandi ad futurum Concilium. Hoc remedio primus omnium usus fuisse videtur Fredericus II. Imperator. Concilium generalius Lugdunensis provocavit. Responsio Innocentij IV. è Mattheo Paris.

VI. Martinus V. vetuit has appellationes, è Gersono; qui scripsit constitutioni non esse locum in causis fidei. Pius II. eas quoque prohibuit. Galli exceperunt causas fidei & manifeste everfionis canonum.

VII. De formula disjunctiva appellandi, ad Pontificem, vel ad Concilium. Quo sensu dixerint interpretes appellandum à Papa ad Papam. Melius Ivo, qui à sede ad ipsam sedem confugiendum dixit. Quo sensu dixerit Vlpianus appellari à rescripto Principis. Expense rationes cur in antiquis formulis disjunctivè ad Papam vel ad Concilium appellatio conciperetur.

VIII. Quenam sit Du Vallij Theologi in hac questione sententia; quòque remedium illi substituat.

SUPERIORE capite novam quandam rationem vidimus in Ecclesiam investam ab iis qui se Romanae curiae censuris premi existimabant, scilicet appellationem à Papae decreto ad futurum Concilium. Novam dixi, quia nunquam in Ecclesia admilla fuit provocatio à Papa ad Concilium; licet aliquando, remedio quodam extraordinario, sedis apostolicae iudicium in majori synodo instauratum fuerit. Quod illi

facile concedent quibus perspecta est antiqua disciplina, quae causarum divisione iudicia synodorum distinguebat. Illae enim vel privatae erant, vel communes, quarum discrimen explicamus in diatriba de synodis, tomo secundo. Privatae ita synodorum Patriarchalium iudicio finiebantur, ut nullus appellandi superesset locus, neque Imperatoris adeundi, aut synodi universalis interpellandae; ut docet Iustinianus, juxta constitutum Secunda Synodi Oecumenicae. Cur ergo denegabitur apostolicae sedi quod veteres omnibus Patriarchis asseruerunt? Aliud dicendum de causis communibus, quae juxta mores antiquos rectè constitui non poterant à *ἡγεμόνibus*; sine sententia Summi Pontificis, ut observavit olim Sozomenus. Quo sensu intelligendus est Gelasius, cum ait: *Ipsi sunt canonibus qui appellationes totius Ecclesiae ad hujus sanctae sedis examen deferri voluerunt, ab ipsa verò nunquam appellari debere sanxerunt.*

II. Aliquando tamen, ad procurandam Ecclesiae tranquillitatem, Imperatorum rescripto apostolicae sedis iudicia in majore synodo instaurari contigit; in qua per Legatos Romanus Episcopus intererat. Quae ratio longè differt ab appellatione. Ut enim, inquit Hermogenianus Iurisconsultus, *appellatio iniquitatis sententiae querelam, in integrum verò restitutio erroris proprii veniae petitionem, vel adversarij circumventionis allegationem continet.* Deinde iudex à quo appellatur, de appellatione non cognoscit, sed is à quo supplicatur, instauratum iudicium peragere potest. Ejus cognitionis antiquissimum exemplum habetur in causa Cæciliani Carthaginensis, quae iudicio Concilij Romani sub Melchiade decisa, iterum peracta est in Synodo Arelatensi à Constantino coacta anno cccxiv. eo colore quaesito à Donatistis, quòd lite nondum plenè instructa iudicium nimis properè latum esset, ut constat ex epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum Episcopum, apud Eusebium. Alienum putabat Constantinus à disciplina, res ab Episcopo Romano iudicatas refricare; sed studio pacis restituendae, instauracionem iudicij in frequentiore synodo Donatistis permisit. Hoc habemus ex ipsius epistola ad Vicarium Africae: *Et contra id quod iidem responderam, inquit, frustra eos id iactare, (nempe Cæcilianum esse fontem) quippe cum res fuisset apud urbem Romam ab idoneis ac probatissimis viris Episcopis terminata, obnixè ac pertinaciter respondendam existimaverunt quòd eorum omnis causa non fuisset audita, sed potius iidem Episcopi quodam loco se clausissent, & prout ipsi aptum, iudicassent. Quare cum haec tot & tanta nimium obnixas diffensionis protrahere*

L. 26. c. de episcopali audientia: Nam contra hominum antistitiū sententia non esse locum appellationi; à majoribus vestris constitutus est. Nov. 137. Can. in v. Secunda Syn. Phorius tit. ix. Nemocten. c. vi. Apud Grat. c. causa. c. Ipsi sunt. q. 1.

L. Praefati. 17. ff. de minorib.

Euseb. l. x. hist. c. 5. τὸν αὐτὸν ἐξέτασαν.